



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. De Titulis Servitutis, Effectiois, & occupationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

rer, qui à se abdicat in hoc instanti dominium formale, coëxistit cum abdicatione talis domini, ita ut ea abdicatio existat cum dependentia, & non sine dependentia à tali potestate, quod idem dicimus de illo, qui dominium formale in eo instanti acceptat.

619. **Objicies 5.** donans in instanti donationis ita dat donatario dominium radicale, ut ipse retineat dominium radicale; ergo ita dat dominium formale, ut in ipso donationis instanti retineat quoque dominium formale. Resp. conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia dominium radicale in donatore & donatario respiciunt diversos terminos, ita ut unusquisque circa suum terminum exercere se liberè possit absque læsione libertatis alterius, ut constat à num. 579. Etenim jus radicale in donatore respicit potestatem ad offerendum dominium, sive ad ponendam liberam oblationem domini, per quam donatarius con-

stituitur potens acceptare, sive elicere liberum actum acceptationis; cum autem libertas in donatore ad elicendum actum oblationis domini nequaquam lædat libertatem donatarii ad acceptandum, vel non acceptandum, neque libertas donatarii, utpote habita pro signo sequenti, possit lædere libertatem donatarii; exinde ista dominia radicalia ex nullo capite repugnant; at dominia formalia respicerent eandem rem, ideòque si essent plena, daretur in unoquoque ex illis jus perfectè disponendi de re; cum autem circa eandem rem non possit tale jus perfectè disponendi de re in utroque simul reperiri; deinde ex impossibilitate utriusque juris radicalis nequaquam inferri potest compossibilitas duplicis illius juris formalis. Reliqua, quæ hic adungi possent, præoccupata jam sunt à num. 578.

num. 578.

* *

DISPUTATIO XII.

DE TITULIS, QUIBUS DOMINIUM ACQUIRITUR.

620. **M**ulti sunt tituli, quibus de facto dominium acquiritur, tum circa alterum hominem, qui servus efficitur, tum circa bona externa, quæ sunt propria alicujus. Dominium quippe unius hominis in alium, ut servum, acquiritur quadrupliciter, videlicet venditione, jure belli, nativitate, juxta condemnationem. Dominium autem circa bona externa acquiri potest effectione, occupatione, seu naturali apprehensione, voluntaria translatione, & non voluntaria, qualis dici solet Judicis sententia; & translatione non voluntaria, qualis dici solet usucapio, & præscriptio. De his omnibus fusissimè agunt tum Theologi, tum Canonistæ, & Jurisconsulti. Nos autem breviter attingemus, quæ ad nostræ doctrinæ roborationem, & claritatem opportuna sunt.

SECTIO I.

De Titulis servitutis, effectionis, & occupationis.

621. **A**spero 1. Licitum est homini dominium in alium hominem tanquam in verum servum per aliquem ex illis titulis num. superiori assignatis. Probatum facile ex dictis à n. 353. dominium servitutis non est dominium plenum in servum, cum non sit dominium circa vitam, seu substantiam rei, sed circa operas, aut similes effectus; atqui ejusmodi dominium per aliquem ex illis titulis legitime acquiritur; ergo &c. Probatum min. sicut quan-

do bellum esset injustum ex parte Dominorum, non posset contrahi vera, sed tantum apparens servitus; at quando bellum est justum, potest victor licitè jure belli inimicum interficere; quòd autem servetur, & mors in servitute commutetur, non est iniquum; unde ex hoc titulo legitime introducta est servitus jure gentium; quòd autem Christiani contra Christianos pugnantes, licet capiantur, non maneat servi, ideo est, quia ex antiqua consuetudine vim legis habente antiquus ille rigor temperatus est, & servitus est in puram captivitatem commutata, donec captivus redimatur. Rursus, quòd sit jure belli, non minus fieri potest licitè juxta condemnationem, qua mors in servitute commutatur, ut constat ex C. eos, qui 22. dist. ex C. cum multa, 25. q. 8. ex L. si manumissus, Cod. de libert. & eorum liberis, 55. maxime Institutis de captivis diminutione, & C. de raptoribus 36. q. 1. Præterea cum homo sit usufructuarius, & quasi usufructuarius suæ vitæ, & membrorum, ut constat à num. 324. licitè potest juxta de causa, ut non sit profusio libertatis suas operas, & obsequia alteri vendere in perpetuum, atque ita fieri servus venditione, quòd etiam clarè constat ex S. Scriptura: nam Exodi 21. Levitici 23. & Deuteronomi 150. concedebatur Hæbreo, ut se sponte posset alteri in perpetuum servum tradere.

Demum jure nativitatis non minus licitè introducit ea servitus; ex hoc enim titulo juxta regulam juris, partus sequitur ventrem, ideòque quicumque ex matre ancilla nascitur, servus est, si Pater sit liber, & sive copula licita,

licita, five ex illicita nascatur, L. partum, Cod. de rei vindicatione, §. penult. Instituit, de iure personarum, C. unic. de natis ex libero ventre; si enim Pater in casu extremæ necessitatis habet facultatem à lege ad vendendum filium, quare lex vel ad conservandam vitam Matri, vel aliis iustis de causis non condonet Matri impunitatem sub eo onere, ut ipsa, & fructus sui ventris maneat sub Domini servitute? sicut enim ex parte legis, & Reipublicæ habet sæpè aliquis facultatem ad obligandum se, suosque posteros ad aliquid faciendum, & sicut Cives ipsi alicujus Civitatis non solum se obligant ad aliquid præstandum, sed etiam obligant omnes posteros Cives ejusdem Civitatis, quia alioquin difficile inveniunt, qui eis in sua necessitate succurrere vellet; ita etiam quia Mater in ea necessitate difficile inveniunt, qui eam emeret, nisi simul fructum sui uteri vendere possit, ea de causa leges iustè dederunt Matri eam facultatem, ex qua parus sequatur ventrem; unde non aliter intelligenda est ea servitus, nisi juxta præscriptum justæ legis. Quare ubi Jus Civile Romanorum viget, attendendum est ad statum Matris, ex quo favor maximus advenire potest proli; nam ut habetur §. sed & si quis Instituit, de ingenuis, si Mater fuit libera, aut tempore conceptus, aut tempore partus, aut aliquo intermedio, filius manet liber, nec nocet ei præcedens, vel subsequens Matris servitus, ut libertatem, quam semel habuit, amittat.

623. Quapropter ad justam servitutem ea servari debent, quæ à legibus iustis præscribuntur, si in eis inclusa esse censentur; ea de causa infantes capti in bello justo, licet iustè occidi non possunt, possunt tamen fieri servi. Ratio est, quia licet propter crimen parentum, aut patriæ non possit filius iustè occidi, aut verberari, potest tamen privari quàm plurimis bonis fortunæ, ac proinde libertate, quæ inter ea bona non minimum est. Sic filii Hæreticorum, aut illorum, qui committunt crimen læsæ Majestatis, privantur honore, & jure succedendi in hæreditate propter delictum parentum; sic etiam Victor Republicam hostilem ab ipso victam punire potest, reddendo eam servam, privando libertate infantes, qui ad eam pertinent, eosque redigendo in servitutem; ad eum quippe modum, quo ejusmodi infantes, quia sunt partes Reipublicæ hostilis, possunt spoliari omnibus à Victoribus, sic etiam possunt libertate privari; hæc enim privatio moraliter censetur pœna damni; occisio autem, verberatio, & mutilatio est pœna sensus, & quamvis pœna sensus non inferatur à legibus humanis contra alios, propter peccata parentum, nisi propter peccata personalia, inferitur autem pœna damni.

624. Cum igitur ex præscripto iustarum legum agendum sit, ubi Jus Cæsareum viget, plures conditiones sunt observandæ; sic, ut Pater possit, R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

sic iustè vendere filium, requisitæ sunt plurimæ conditiones ab eodem jure, ut, quod sit propter nimiam paupertatem, & victus causa, & quod id liceat soli Patri, non verò aliis, etiam si alioquin habeant patriam potestatem. Pariter eodem Civili Jure Romanorum redditur irrita liberi hominis venditio, nisi concurrant sex conditiones. Prima, quod, qui venditur sit major viginti annis. Secunda, quod sciat se esse liberum. Tertia, ut ad hoc permittat se ab alio vendi, ut ipsemet de pretio participet. Quarta, ut re ipsa de pretio participet. Quinta, ut is, qui eum vendit, sciat eum esse liberum. Sexta, ut qui eum emit, putet eum esse servum. Quare eodem modo discurrendum est de libertate; nam juxta præscriptum legum, plurimis modis potest servus fieri liber, videlicet si Dominus manumiserit servum, si illum ægrotum dereliquerit, ei que alimenta non præbeat, si servum in filium adoptet, hæredem instituat, vel Tutorem filio suo relinquat, aliisque modis se gerat à lege præscriptis, de quibus fusè Lugo disp. 6. sect. 4.

Nota de ea sectione quarta Cardinalis de Lugo extare Bullam Pij V. quæ incipit, dignum, & rationi congruum est; & altera Pauli III. quæ à Pio ibi citatur, in quibus conceditur, & renovatur facultas Conservatoribus Urbis Romanæ, ut quoscunque sclavos jam factos ad dictos Conservatores pro libertate confugientes, & libertatem proclamantes liberare possent, eosque sic liberos factos pro liberis hominibus, & Romanis Civibus ubique Terrarum habendos esse decernitur. Adit tamen idem Cardinalis de Lugo, hæc verba suscipienda tantum, quod extra territorium, & dominium temporale Pontificis non habeatur defacto rata illa libertas, sed Domini, ubi primum inveniunt servos suos extra illud territorium, eos sibi in pristinam servitutem revocant; ita enim à fide dignis accepi, qui diu in hac Curia versati sunt. Quæ ad servos ordinarios, eorumque manumissionem attinent, five mancipia propriè dicta sint, five servi originarii, & adscriptitii, qui nempe Dominis suis non tantum ratione possessionum, & bonorum suorum, sed etiam personaliter ad culturam agrorum, V. G. & alia obsequia obligati sunt, agitur Lib. 1. Decret. toto Tit. 150. quamquam enim originarii, seu adscriptitii jam pauci reperiantur, at aliquos adhuc extare in Germania, faterur Filliutius, & Filincha ad istum 18. Tit. Juris.

626. Asserto 2. Homo liber, jurisque proprietatis capax, si rei natura id patiat, nullaque lege sit irritum, comparat per effectioem dominium proprietatis in rem effectam. Probatur, & explicatur simul conclusio. De jure naturæ est, quod causa libera dominetur suo effectui, si legitime non impediatur; cum enim causa libera sit domina sui actus liberis, est etiam domina operis subsecuti; ex eo enim, quod

quod effectus se totum causam debeat, debet quoque subiacere dispositioni, quam de eo causa faciat; sicut, qui est Dominus arboris, est etiam Dominus fructuum, si natura fructus id patiat, nullaque lege irritetur; ergo in eo casu comparatur per effectum dominium in rem effectam. Confirmatur. Licet dominium non acquiratur per effectum, si natura rei id non patiat, ut patet in Patre, qui quamvis filium causet, non habet dominium proprietatis in filium, qui filius utpote jure naturae secundum quid liber non patitur servitutem, ex praecisa ratione effectus, seu nativitatis, ut olim per errorem existimaverunt quidam barbari, de quibus meminit Raynaudus lib. 3. de virutibus c. 2. num. 106. Cum enim Pater ratione nativitatis tantum habeat concessam ab Authore naturae potestatem gubernativam in filium, proindeque ordinatam in bonum filii, non habet in illum dominium proprietatis, sed jurisdictionis, ut saepe diximus; tum etiam licet dominium non acquiratur per effectum, quando lex actionem irritat, ne per illam dominium obtineri possit, ut de illo, qui mala fide in alieno solo aedificat, expresse decernitur Institut. de rerum divisione, §. ex diverso, & §. certe illud constat, verliculo nam scienti alienum solum; at quando natura effectus titulo effectus patitur dominium proprietatis, nec actio a lege ulla irritatur, eo ipso dominium proprietatis attinet ad effectum; siquidem a nullo impeditur, ne tunc debitum suum pariat effectum; ergo &c.

627.

Assero 3. Jure gentium res legitime occupata fit occupantis. Probatum facile: illae res legitime ab aliquo occupantur, quae juxta praescriptum legum occupantur tanquam propriae; sed quae ita occupantur, jure gentium sunt occupantis; ergo &c. Probatum minor ex §. singulorum, Institut. de rerum divisione, ubi dicitur, singulorum autem hominum multis modis res sunt; quarundam enim rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod (sicut diximus) appellatur jus gentium; quarundam vero jure Civili; & post pauca §. ferè, ita subjungitur: fera igitur bestia, & volucres, & pisces, & omnia alia, quae in mari, Caeloque, & terra nascuntur, si ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt; ergo &c. Confirmatur. Ex eo, quod haec bona extrinseca infra hominem sunt, eique in ipsius utilitatem subjecta, congruum est rerum divisioni, ut quae sub nullius adhuc dominio sunt, fiant illius, qui eas legitime primò occupaverit, proinde eo titulo occupationis acquiratur jus in animalia nondum mansuefacta, in lapillos pretiosos, qui in litore maris, fluminibus, & promontoriis reperiuntur, in ligna caesa sylvae communis, in mineralia, & alia ejusmodi, quae in locis communibus reperiuntur; quod introductum esse videtur propter causas urgentes omnibus, vel ferè omnibus gentibus, communes; aliter non dicerentur in jure acquiri earum rerum dominium per occupationem jure gentium; ergo &c. Ex dictis

Fit 1. non acquiri ex hoc titulo dominium per occupationem non legitimam, ac proinde neque per illam, quae humano modo non fit: legitima enim occupatio fieri debet corpore, & animo; animo quidem habendi rem illam, ut suam, corpore autem eam physicè apprehendendo: unde non sufficit rem videre, bene verò rem capere, aut per se ipsum, aut per instrumentum suum, v. g. per servum, per laqueum, per canem, & alia hujusmodi. Idcirco non potest titulo occupationis acquiri dominium a dormiente, a mente, vel infante, ignorante, vel nolente, cum ab eis non acquiratur corpore, & animo. Nec obstat quaedam lex, feram meo laqueo captam adjudicans alteri eximenti; intelligitur enim, quando adhuc fera potest evadere laqueum, de quo plura Molina disp. 41. & Lugus disp. 6.

Fit 2. maxime attendendum esse ad genus animalium, ut dignoscatur, an occupatio eorum sit legitima; ratio est, quia quaedam animalia sunt naturali indole mansuefacta, ut oves, & boves, gallinae, & id genus alia: unde quamvis longè fugiant, semper sunt Domini, a quo fugerunt, non verò primi capientis. Alia verò sunt fera, sive sylvestria, nunquam mansuefacta, & haec quidem, quamvis a te sint capta, si evaserint in naturalem libertatem, jam sunt primò occupantis, juxta leges venationis, quae apud plerasque Regiones vigent; dicuntur autem evasisse in naturalem libertatem, quando ita evaserunt, ut difficulter possint comprehendi. Alia sunt naturali indole fera, usi tamen mansuefacta apud aliquos, ut columbae, cuniculi, & alia hujusmodi, & haec sunt primi capientis, aut occupantis, quamvis evadant, nisi jam ita mansuefacta sint, ut habeant consuetudine redeundi ad dominum. Juxta leges Hispanas licet capere columbas, quae reperiuntur vagantes extra leucam a suo columbario: id quibus licitum esse in conscientia, docet contra alios Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 5. qui eadem disp. latè differit de venatione, piscatione, & lignatione, quae de sylvis caesis fieri solet in sylva communi, de pascuis, aliisque similibus, quae omnia compendiosè congerit Tamburinus lib. 8. in Decalogum Tractatu 2. c. 9. §. 2. & 3. Caeterum plena horum decisio maxime pendet a legibus municipalibus cujusque Regionis, quae omnino attendi debent; idemque dicendum de jure fodendi metalla, quae frequenter Principes per legitimas leges sibi reservant.

Circa hoc autem praescindendo a contrariis legibus municipalibus, censet Lessius lib. 5. dubit. 13. quod si quis in loco publico Communitatis, cujus ipse est pars contra justam prohibitionem pascat, vel ligna caedat, solum venialiter peccet, nec ad restitutionem teneatur, nisi magnū detrimentum communitati intulerit, qual censetur illatū, si multas stirpes notabiles incidere, aut grandes arbores aedificiis idoneas, vel si locus ille, alioquin communis, sit justè e-

locatus

locatus alteri; nam tunc peccaret pro ratione rei ablatae, vel damni illati, quod saepe multo plus est, quam res succisa valeat, & tenebitur ad restitutionem. Quamquam obligatio ad restitutionem intelligenda est, si persona, vel Respublica possidens locum, solet curare recuperationem talium rerum; alioquin si non solet curare, sed satis ei sit, ut comprehensi multam luant, non erit necessaria restitutio. Ratio est, quia ex ea praxi infertur, leges illas pro damno illato non obligare, nisi ad multam, ac proinde elocantem, si juxta legum consuetudinem elocaverit, contentum esse, ut comprehensus multam luat, quae major esse solet, quam res ablata, vel illatum damnum: quod etiam extendit Lessius ad Incolas duorum Oppidorum, vel paganorum habentium loca, palcua, vel sylvas caedatas, si alterum in alterorum sylvis hinc inde lignentur, quia cum passim sciatur id ab utraque parte fieri, censentur communitates vicissim condonare, quod ereptum fuerit, contentam multam, si qui in furto capiuntur.

S E C T I O II.

Solvuntur Opposita.

631. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: si homo revera acquireret jus proprietatis circa servum, nunquam posset servus licite fugere; sed potest quoque licite fugere; ergo &c. Resp. dist. maj. non posset licite fugere pro casu, pro quo sibi facultas à lege servitutis collata non sit, con. pro casu, pro quo collata sit, neg. maj. & distincta pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia licet servi ex justa venditione liberè ab ipsis facta non possint licite fugere, ex eo, quod ex tali lege servitutis teneantur stare contractui, quod etiam extendit Lessius ad servos ex justa condemnatione, & ad filios ancillarum, qui ex praedictis duobus titulis sunt in servitute; at servi ex jure belli justii, ut tenent Soro, Sanchez, Lugo, & plures alii contra Navarrum, possunt licite fugere ad suos, ex vi legis de tali servitute, ad quos ubi pervenerint, sunt liberi, ut habetur *§. item ea*, Instit. de rerum divisione, ubi expressè sermo est de servis capti in bello justo in servitutem nostram reducuntur, qui tamen, si evaserint, ad suosque reversi fuerint, pristinum statum recipiant.

632. Ex hac nempe lege valde probabiliter arguitur, eos fugiendo non peccasse; alioquin daretur eis libertas in praemium iniquitatis, & quidem Legislator tanto proposito praemio eos ad peccandum alliceret, à quo potius supplicii deterere debuisset: unde si ex vi hujus legis eam facultatem habeant, ut tot Doctores docent, poterunt licite fugere, nec fur-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

tum committerent se ita subtrahendo à servitute. Ceterum, si antequam perveniant ad suos, capiuntur, manent in servitute, nec possunt vi resistere Dominis persequentibus, nec alii possunt eis fugam consulere, quandoquidem lex non extenditur ad istos effectus. Dixi *ex jure belli justii*; nam si sit injustum, possunt fugere etiam vi resistendo Dominis, ut faciunt Christiani à Turcis capti; imò cum spoliis potest etiam licite fugere quilibet servus, si valde inhumaniter tractatur, aut multum inciteretur à Domino ad peccandum, quia in isto casu jus naturae facultatem ad hoc concedit.

Objicies 2. contra secundam assertionem: si ratione effectiois posset quis acquirere dominium rei factae, ille, qui ex materia aliena efficeret aliquod opus, acquireret dominium in tali opere: sed hoc repugnat lumini naturae; ergo titulus effectiois non sufficit ad dominium. Resp. dist. maj. ex re aliena concurrentibus circumstantiis à lege praescriptis, conc. deficientibus illis circumstantiis, neg. maj. & distincta pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia licet nullus possit ex re aliena sibi commodum propria auctoritate accipere, at potest commodum consequi, si quandoque opus fiat, modo, quo leges validam facultatem concedunt ad dominium rei effectae; talis quippe facultas conceditur sub determinatis circumstantiis, *§. cum ex aliena*, Instit. de rerum divisione.

Ibi enim ita praescribitur: cum ex aliena materia species aliqua facta sit ab aliquo, quaeri solet, quis eorum naturali ratione Dominus sit, utrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiae Dominus fuerit, ut ecce, si quis ex alienis uvis, aut olivis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit, aut ex alieno auro, vel argento, vel aere vas aliquod fecerit, vel ex alieno vino, & melle multum miscuerit, vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut collirium composuerit, vel ex aliena lana vestimentum fecerit, vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel subsellium fabricaverit, & post multam Sabianorum, & Proculianorum ambiguitatem placuit media sententia existimantium, si ea species ad priorem materiam reduci possit, eum videri Dominum esse, qui fecerit, ut ecce vas conflatum potest ad rudem naturam aëris, vel argenti, vel auri reduci; vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas, vel olivas, vel spicas reverti non potest; at nec multum quidem ad vinum, vel mel resolvi potest. Ecce circumstantias à lege praescriptas circa praesentem casum. Circa alios similes sunt aliae circumstantiae ab aliis legibus praescriptae toto eo titulo *de rerum divisione*. Cum autem dominium, ut saepe diximus, à lege colativa juris proprietatis habeatur, ad hos, similesque casus resolvendos recurrere debemus